



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Concio Secunda. Textus: Optimam partem elegit. Lucæ 10. Thema: Super omnes creaturas exaltata est B. V. Maria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

IN FESTO ASSUMPTIONIS
B. V. MARIÆ.

CONCIO SECUNDA.

Textus. *Maria optimam partem elegit. Luca 10.*

Thema. *Super omnes creaturas Virgo MARIA exaltata est.*

Exordium.

Scipio Bargalius Mariam Virginem ad cœlos assumptam, flammæ non ab similem dicit, addito Lemma te: *Summa petit.* Quia ut flamma non simpliciter ascendit, sed ad apicem usque, ad summitatem evolat; ita B. V. Maria in cœlesti curia, ad summos, maximos, ac præcipuos honorum, dignitatum, excellentiarum, & prærogativarum gradus in cœlos assumpta pervenit. Exprimere intendit hoc S. Mater Ecclesia hodiè canendo: *Exaltata est sancta DEI Genitrix ad cœlestia regna, assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet solio; Ipsamet sacratissima Virgo inquit: In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Eccles. cap. 24. Et Psalmo 72. *Cum gloria suscepisti me.* Patres percipimus: *Gloria, qua eam de hoc mundo transeuntem exceperit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te, Gloria DEI,* inquit Petrus Damianus Serm. 1. de Nativ. Conformiter S. Damascenus Orat. 1. de Nativ. B. V. *Ipsa namque Cherubinos superans, & supra Seraphinos evecta, propinqua DEO existit. O miraculum omnium miraculorum maximè novum! mulier Seraphinis sublimior effecta est. Nec in terris locus dignior, uteri virginis tempus*

SS. Patres.

Damianus.

S. Damascenus.

templo, in quo Filium DEI Maria suscepit, nec in caelis regali solio, in quo Mariam hodie Maria Filius sublimavit, ita scribit S. Bernardus Serm. I. de Assumpt. Unde exclamat Serm. 2. de Adventu: *O Virgo virgo sublimis, inquam, sublimem verticem caput Sanctorum erigis, usque ad sedentem in throno, usque ad dominium Majestatis. Attende Seraphim, & in illius superioris naturae supervola dignitatem, & videbis, quidquid majus est minus esse Virgine, solumque opificem, opus illud supergredi, iterum Petrus Damianus, ut supra.* Unde S. Bonaventura in speculo cap. 11. ait: *Maria super caput Sanctorum*

S. Bernardus

S. Bonaventura.

S. Germanus

Albertus Magnus.

Andreas Cretensis.

locata est; Et S. Germanus scribit apud Lipom. 21. Novemb. Tu es honor honorantium, praemiorum praemium, & altitudo altitudinum. Albertus Magnus super missus habet: Homines possunt pervenire ad Seraphim, nullus autem ad statum, & dignitatem B. Virginis. Maria, scribit S. Bonaventura Orat. I. de Nativ. B. V. Deus praepravit grandem gloriam in caelo, ut, sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in praemio, unde ipsa est thronus ille grandis, de quo dicitur: Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, thronus vero Salomonis est MARIA, grandis omnino in gratia, & gloria, ita ut nullus Angelus, nullus Sanctorum ei aquari possit, in multitudine & congregatione honorum caelestium, juxta illud Proverbiorum: Multae filiae congregaverunt divitias, tu sola supergressa es universas, si filias istas intelligamus sanctas animas, vel intelligentias Angelicas, nunquid non supergressa est divitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, & Angelorum; cum ipsa sit primitiva Virginum, speculum Confessorum, Rosa Martyrum, Registrum Apostolorum, Oraculum Prophetarum, Regina Angelorum. O Virgo Regina omnis humanae naturae, qua habes non comparabilem cum aliis appellationem, excepto Deo tu es omnibus altior, perorat Andreas Cretensis. Orat. de dormit.

(Z) 3

dormit.

dormit. B. V. Imploratâ S. Spiritûs gratiâ desuper Conceptus audiamus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Inter alias veteris Testamenti figuras, Mariæ in cœlum assumptæ gloriam, & exaltationem, ac excellentiam, vel maximè exprimit illa, quæ legitur 3. Regum cap. 2. quando mirum Rex sapientissimus Salomon Reginam matrem suam ad eò augustè collocavit; *surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, postquam est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* 3. Regum cap. 1. Christus, *ecce plus quàm Salomon hic*, hodiè obviam cum omni cœlesti curia processit Matri suæ, eamque in throno magnifico ad latus suum augustissimè collocavit, telle regio Psalte, Psal. 44. *Adstetit Regina à dextris tuis:* & ipsa Virgine afferente: *Cum gloria suscepisti me.* Mellifluè S. Bernardus Serm. 1. de Assumpt. *Si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ preparavit DEUS diligentibus se, quid preparavit gignenti se, & quod certum est, præ omnibus diligenti?* Exaltationem aureis verbis deprecatur Virginis eximius cultor Arnoldus Carnot. Tract. 6. de laud. B. V. *A denominatione, vel potentia Filii Mater non potest esse sejuncta, una est Maria & Christi caro, unus spiritus, una caro, & ex quo dictum est ei, Dominus tecum inseparabiliter perseveravit promissum, & donum &c. Filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem.* De tantæ Mariæ exaltatione expressius loquitur S. Bernardinus, cum Petro Damiano: *Sicut benedictus JESUS, verba sunt S. Bernardini tom. 3. Serm. 11. art. 11. sedet à dextris Patris, id est, in potioribus bonis paternis, sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis Filii sui JESU juxta ipsum in throno sublimata est. Sublimis ista dies est,* scribit Damianus Serm. 1. de Nativ. &

Sole splendidior resurgens, in qua Virgo Regalis, ad thronum DEI Patris evehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita, naturam etiam Angelicam sollicitat ad videndum. Hanc Virginis Excellentiam, & exaltationem S. Mater Ecclesia indicare vult, dum Evangelium de duabus sororibus Martha, & Maria legendum proponit.

CONCEPTUS II.

Hoc in Evangelio docente Salmerone Tom. II. Epist. 36. per Martham vita activa, per Mariam, vita contemplativa Virginis Matris indicatur: *Non tam pro statu Matris Dei, vel ob statum Virginitatis, quàm ob altissimas actiones contemplationis figurata in Maria, & ob egregias functiones vite active significata in Martha*: verba sunt Salmeronis. Allegantur merita innocentiae & integritatis, quia Virgo intacta: allegantur merita servitiorum & charitatis, quia Mater est sollicita, & indefessa: allegatur spiritus perfectio, quia licet corpore in terris, spiritu & anima DEUM venerando, in caelis morabatur; insinuat, inquam, lecto Evangelio, Mariam per omnia, & in omnibus, tam actu, quàm spiritu fuisse dotatam, ac perfectam, meritorum cumulo in duplo excelluisse. Dicit nunc Christus Joannis 12. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui in caelis est*, Mariam, quae corpore & spiritu, in duplo, in utroque homine, tam exactè, tam perfectè, tam cumulatè SS. Trinitati inservivit, nimirum Patri promptissimè obediendo, Filio fidelissimè ancillando, S. Spiritui, eum exactissimè amando. O quantis gloriae, excellentiae, potentiae, ac honorum titulis, donis, & gratiis SS. Trinitas eam cumulaverit? Guericus Abbas introducit Filium DEI, Matrem suam exaltantem. Serm. 1. de Assumpt. *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, nullus mihi plus ministravit, in humilitate mea, nulli etiam abundantius ministrare volo in gloria meâ; communicasti mihi,*
quod

quod homo sum, communicabo tibi, quod DEUS sum. O vere optimam partem elegit tibi Maria, quæ non auferetur ab eis in æternum.

CONCEPTUS III.

Materialia etiam illa instrumenta, ut domum, stabulum, sepulchrum, lignum &c. quæ humanitati Christi servitium aliquod præstiterunt, summè DEUS exaltavit. Domus Lauretana, in qua Verbum Caro factum est, quæ DEUM hominem suscepit hospitio, ô quantum est exaltata, domus domorum, & gratiarum DEI est. Stabulum illud Bethleemiticum, quod Filio DEI recenter nato servivit, ô quam factum est magnificentum palatium! claritas DEI, ei lucet pro lampade, cœlestium Spirituum, & Angelorum multitudo, & pulchritudo præ auleis exornat, suavitas odore replet, trium Regum magnificentia, pavimentum, tapetum loco throni, JESU, Maria & Joseph gratia, illud nobilitat. Crux trium horarum spacio corpus JESU amplexatum est, & quanta in gloria super Regum coronas crux refulget? sepulchrum, ætiguò tempore mortuum pignus fovit, & usque nunc sepulchrum ejus est gloriosum. Desuper cum S. Leone inquit: *Si præsepe, in quo ad horam repositus est, ita exornavit, si Nazareth, ubi conceptus, & nutritus fuit, tantâ decoravit gloriâ, ut cernere licet in domo lauretanâ, si crucem, in qua quâ tribus tantum horis pependit, & sepulchrum, in quo ad tres dies mortuus jacuit, tantoperè sublimavit, quod ferendum de matre judicium; de matre, qua novem menses in utero suo cautissimè JESUM portavit, de matre, qua triennio tam liberaliter lactavit, de matre, qua tam amice educavit, de matre, qua 30. annis amorosè enutrivit, de matre, qua tam cordialiter patienti condoluit, de matre, qua etiam mortuum piissimè fovit. Certò DEUS eam omni gloriâ, omni honore decoravit, omni potentiâ locupletavit.* Audite.

Audiamus S. Bernardum in deprec. ad Virgin. *Tanta ante DEUM sanctitate fecundaris, ut sola solio Regis aeterni immediate approximare merueris. Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur super se mater, nisi solum Filium*, scribit Guericus Abbas Serm. de Assumpt. Conformiter Amadeus in quadam homilia de B. V. *Super omnes elevata, & in caelum, à caeli civibus honorificentissime, & ex more imperiali suscepta à Patre supremo in regno claritatis aeternae, & in throno excellentissimae gloriae, prima post Filium, quem ex se genuit incarnatum, iussa est residere.*

CONCEPTUS IV.

Regius Psaltes ait Psalmo 64. *Benedices coronae anni benignitatis tuae.* Ubi quaeso hic annus benignitatis, & quae est corona ejus? Annus benignitatis est Sanctorum in caelo sibi conviventium felicitas, & prosperitas, ut vult S. Bonav. in spec. 11. Corona tantae serenitatis, & felicitatis Sanctorum est B. semper Virgo Maria, ut iterum subscribit citatus Sanctus: *Hujus autem anni benedicti corona est benedicta Virgo Maria, ipsa certò est corona omnium dierum hujus anni, quia ipsa est corona omnium dierum caeli.* Sed cur corona dicitur omnium felicitatum, & universae electae societatis? Utique ad Mariae sublimitatem indicandam: Ut sicuti corona capiti imposita, omnium supremum obtinet locum; sic B. Virgo, in beata, caelestis gloriae patria, ad instar pretiosae coronae summum, & altissimum inter omnes Sanctos locum obtinet, omnes Sanctos in gloria, in majestate, infra se constitutos conspicit. Ita concludente S. Bonaventura citato: *Corona enim super caput imponi solet, sic Maria super caput omnium Sanctorum locata est.* Indicare hoc ipsum videtur sacratissima Mater se cedro in Libano comparando.

CONCEPTUS V.

Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, inquit de se Maria Eccl. 24. Cur rectè sicut Cedrus, & cur in Libano? Sciendum venit, Cedrum altissimè crescere, & quasi super nubes eminere, Libanus mons, est montium princeps, & altissimus; Cedro propterea Academicus Epigraphen subscribit: *In summo summa*. Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, inquit de se Maria, in celo, inquam, supremo loco conspicua, inter summos Sanctos post Deum summa est, supremo loco inter omnes beatos posita, & collocata. Confirmat S. Bernardus Serm. 2. de Deip. *Fecunditas Virginis supereminens gloria est, tantòque excellentior Angelis facta munere singulari, quantò differentius præ ministris nomine Matris accepit. Mons quippè fuit, quæ omnium electa creaturæ altitudinem, electionis sue dignitate transcendit*, inquit Gregorius Magnus in 1. Regum cap. 1. Jacobus Masenius Dillicho sequenti conceptum exprimit:

*Summa petit cultus, superat virtute Maria,
Illa subit nubes, grandior illa polos.*

Epilogus.

Hortor ergò omnes cum Angelo Lot monente: Genes. 19.
In montem saluum te fac, ne pereas.
Amen.

